



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Praxis Cvræ Pastoralis Præcipve Circa Repentina & Generaliora

Possevino, Giovanni Battista Bernardino

Coloniæ Agrippinæ, 1645

Articvlvs V. De peccatis, quæ habent adnexam reseruationem vel
censuram.

urn:nbn:de:hbz:466:1-42220

ludere famam. *Quarto*, ut sint peccata specialia regulariter. *Quinto*, ut fama verè sit ablata, & non restituta alia via. *Sexto*, ut non sequatur ex restitutione maius malum, detractori, ut periculum vitæ, vel maius damnum in fama propria aut aliena.

Tertium, qui refert peccata alterius audita absque asseueratione, vel detrahit materialiter, regulariter non tenetur; nisi in casu, quo referrentur ea ratione, ut meritò audientes inducantur ad sentiendum malè de proximo. Qui verò audit, si teneatur ex officio impedire, vel excitet, aut animet alium ad detrahendum, obligatur ad restitutionem. Secus, non tenetur, etsi peccare possit complacendo sibi deliberatè de detractioe ob prauum affectum erga eum, de quo detrahitur. *Quartum*, qui infamauit dicendo falsum, tenetur dicere se falsum dixisse; qui verò manifestando verum occultum, laudet, & honorificè loquatur de eodem in ijs quibus detraxit.

ARTICVLVS V.

De peccatis, quæ habent adnexam reservationem, vel censuram.

QUOD AD quintum, quæ scilicet peccata habeant adnexam reservationem, vel censuram; *Primò* scienda sunt aliqua circa reservationem peccatorum. Ea autem sunt *primum* peccata venialia non posse ita reservari, ut maneat obligatio ea confitendi; possent tamen ita, ut non possint sacramentaliter remitti, nisi à tali, vel tali ministro: sed tunc inutilis esset talis reservatio.

uatio, cum sine culpa omitti possint à pœnitente.

Secundum, peccata mortalia merè interna, etiamsi possint reseruari ab Ecclesia, non tamen esse in usu; externa verò & possunt & sunt in usu; non quidem omnia; id enim non esset expediens; sed aliqua grauiora; quod etiam verum est respectu Religiosorum, vt colligi potest ex decreto Clementis VIII. præscribentis casus reseruatos pro Religiosis.

Tertium, reseruari posse peccata, etiamsi nō habeant excommunicationem adnexam, quod in reseruatis ab Episcopis usu constat. Item in reseruatis multis à Prælati Religionum. A summis autem Pontificibus regulariter non reseruantur peccata sine censura. Et quidem Episcopis iure communi, quamuis nonnulli casus videantur reseruari, vt *Primo* peccata quæ habent adnexam pœnitentiam publicam, vel excommunicationem maiorem, vel irregularitatem. *Secundo*, incendiarius. *Tertio*, publica blasphemia. *Quarto*, homicidæ voluntarij, falsarij, violatores Ecclesiasticæ immunitatis, & sortilegi. Attamen verius est nullos esse reseruatos seculæ consuetudine, ex qua, quinam sint reseruati, pendet ex locorum peculiarium cognitione.

Quartam, in articulo mortis quemlibet Sacerdotem posse absoluerè quibuscunque reseruatis per propriam iurisdictionem illi tributã; & si quidem non habeant censuram adnexam, non remanet obligatio in absoluto comparendi coram Superiori legitimo; si verò habeant adiunctam censuram, remanet onus ad comparandum

rendum

rendum coram Superiore. Extra articulum talem nullus inferior potest absoluere directè à reseruatis.

Quintum, quoad modum absoluendi, quando superior audit tam reseruata, tenetur absoluere ab omnibus: sine causa graui nō potest auditis tantum reseruatis ab illis absoluere, remittendo pro alijs ad inferiorem, quia nō debet dimidiari confessio sine causa, cum integritas sit de iure Diuino. Quoties autem id licitè fit ex tali confessione, perficitur verum Sacramentū: est enim talis confessio semper integra formaliter: alia quæ fit inferiori de non reseruatis, est omnino integra, cum reseruata iam sint directè absoluta, atque adeo non sint iterum subijcienda clauibus; quamuis alij dicant esse subijcienda, vt vni fiat integrè de omnibus. Quando verò inferior audit pœnitentiam habentem reseruata, sine causa necessaria non potest, neque à non reseruatis absoluere, vt dictum est supra, cum de potestate, cum tali causa potest. Debet autem tunc omnia audire, etiam reseruata, cum circa omnia debeat pœnitens esse benè dispositus, eamque dispositionem examinare pertineat ad confessionem. Hæc circa reseruationem.

Secundo, scienda sunt aliqua de censuris.

Et quoad censuras in communi. *Primo*, sciendum est, censuram esse pœnam Ecclesiasticam spiritualem fori contentiosi, qua spirituum vsus interdicitur, vt à contumacia discedatur. Eius ferendæ potestas est à Christo; institutio autè ab homine Ecclesiastico, qui si ferat illam per constitutionem modo quodam permanente,

mente, dicitur talis censura à iure ; si per sententiam, & modo quodam transitorio, dicitur ab homine. *Secundo*, non incurritur nisi ob peccatum mortale, adiuncta contumacia, id est, inobedientia contra Ecclesiam, suspensioni tamen aliquando etiam potest esse satis culpa venialis, quando fertur ab homine generaliter.

Tertio, excusat ab ea ignorantia probabilis, vel ipsius censure, vel quod talis actio, cui adiuncta est censura, sit peccatum, vel quod prohibita sit ab Ecclesia sub tali censura. Sic etiam impotentia faciendi id quod præcipitur per censuram, ut soluendi debitum excusat.

Quoad excommunicationem maiorem. *Primo* sciendum est, decem esse ipsius effectus. *Primo* enim priuat excommunicatum suffragijs communibus Ecclesiæ. *Secundo*, communicatione passiva Sacramentorum, quamvis per se, & vi sua non efficiat illa nulla. *Tertio*, administratione activa Sacramentorum, quamvis non annullat, nisi illud tantum, quod requirit iurisdictionem ad suum valorem. *Quarto*, usu ordinum ex officio, ut prius. *Quinto*, Ecclesiastica sepultura. *Sexto*, reddit personam incapacem, & ineligibilem ad beneficium Ecclesiasticum. *Septimo*, impedit acquisitionem domini fructuum Ecclesiasticorum, eorumque administrationem. *Octavo*, priuat usu iurisdictionis, tollendo iurisdictionem actualem tam in foro pœnitentiæ quam contentioso ; tam Ecclesiastico, quam ex probabiliore sententia, in seculari. *Nono*, excludit ab omnibus actibus forensibus sola sui defensione excepta, ynde nec actor, nec testis,

nec

nec aduocatus, aut procurator esse potest: tenetur enim se abstinere ab his omnibus muneribus, & repelli potest, & debet, etiam si vitandus sit: quod si non repellatur, acta eius irrita non sunt. *Decimo*, prohibetur illi omnis communicatio ciuilis. Vnde nec contractus celebrare, nec testamenta condere, nec vti publico officio aut ministerio potest, licet non sint inualida omnia, quæ ab eo aguntur, nisi iurisdictionem requirant, & vitandus sit. Adhuc etiam inducitur priuatio omnis communicationis politicæ, & humanæ, cum alijs fidelibus colloquendi, salutandi, &c.

Possunt autem hi omnes effectus reduci ad tres; ad priuationem communicationis in rebus spiritualibus, vt officijs diuinis, Sacramentis, &c. ad priuationem communicationis in rebus mixtis ex spiritualibus, & temporalibus, vt collationem beneficiorum, receptionem, &c. ad priuationem communicationis in rebus temporalibus, & ciuilibus, vt agere in iudicio, & vti humano conuictu, & consortio.

Secundo, sciendum est, solum excommunicatum non toleratum vitandum esse, qualis est, vel denunciatus nominatim, vel notorius percussor Clerici: occultus autem non est vitandus à non excommunicatis, quamuis ipse teneatur alios vitare, & non se ingerere in aliorum conuersationem: quando autem requiritur à non excommunicatis, potest cum illis agere sine vilo peccato.

Tertio, sciendum est, excommunicatum vitandum esse in quinque casibus, contentis eo versu: Os.

Os, orare, vale, communicatio mensa negatur.

Ex quinque autem alijs causis posse cum illo agi sine vlllo peccato, quæ etiam continentur in eo versu:

Vtile, lex, humile, res ignota, necesse.

Quarto, tunc peccare mortaliter excommunicationem, quando facit prohibita per excommunicationem, communicando cum alijs in rebus spiritualibus, vel mixtis, quæ sunt illi peculiari-ter prohibita. Quod si communicaret tantum in rebus ciuilibus, non peccaret mortaliter. Ita etiam qui communicant cum ipso in primis duobus, nisi excusentur aliqua ex dictis causis, peccant mortaliter; qui tantum in tertio, peccant tantum venialiter, semper tamen incur- runt excommunicationem minorem.

*Q*UO AD excommunicationem minorem, tria scienda sunt: *Primum*, eius effectus duos esse. Vnum priuare vsu Sacramentorum passiuo, alterum efficere inhabilem ad electionem passiuam, ita tantum, vt irritanda sit electio, non sit autem irrita ipso iure. *Secundum*, incurri tantum in vno casu, nempe in participatione cum denunciato, vel notorio percussore Clerici in tribus communicationibus dictis, *Tertium*, ab ea posse absolueri omnem sacerdotem habentem iurisdictionem.

*Q*UO AD suspensionem, tria etiam scienda sunt. *Primum*, eam conuenire tantum Clericis, non autem Laicis. *Secundum* esse duplicem, ab officio siue ordinis, siue iurisdictionis, siue administrationis, & à beneficio, id est, à iure percipiendi fructus ex beneficio. *Tertium*, suspen-
lum

sum non facere fructus in conscientia, ideoque teneri ad illos restituendos detractis necessarijs ad sustentationem, nisi aliundè possit vivere: sic etiam per ipsum non stetit, quominus absolueretur, facit fructus in conscientia.

Quoad interdictum tria etiam cognoscenda sunt. *Primum* illud privare usu divinorum activo & passivo, id est, officijs diuinis, Sacramentis, & Sepultura Ecclesiastica. *Secundum*, esse quadruplex, locale, personale, generale, & speciale. *Tertium*, quando est generale, conferri possunt tria Sacramenta: Baptismus, Pœnitentia, & Eucharistia, saltem in articulo mortis: recipi autè possunt etiam ab interdictis, modò non sint specialiter interdicti, vel causam dederint interdicto. Sic etiam officia diuina celebrari possunt in Ecclesia, ianuis clausis, voce submissa, non pulsatis campanis, & excommunicatis, vel interdictis specialiter exclusis.

Quoad irregularitatem, sciendum est *Primò*, eam non impedire receptionem Sacramentorum præterquam Ordinis: si quis hunc reciperet, peccaret mortaliter, sicut etiam si ministraret, in suscepto. *Secundò*, duplex est, quædam ex defectu, quædam ex delicto. Illa sine vilo peccato incurri potest; hæc verò præsupponit peccatum, & quidem mortale. *Tertiò*, vtraque reddit inhabilem ad beneficia de nouo acquirenda, ita vt collatio nulla sit, receptis autem non priuat nisi per sententiam.

Tertio, scienda sunt aliqua circa absolutionem à censuris. *Primum*, absolutionem, quæ conceditur in foro pœnitentiæ per priuilegia mendicant;

cantibus concessa, & alia similia, non requirere
 alias ceremonias præter eas, quas sufficiunt ad
 Sacramentum pœnitentiæ. Forma autem illa,
 quæ præscribitur in *c. extenore, & c. de cætero de
 sent. excom.* seruanda etiam est in occulta abso-
 lutione, quantum ad ea, quæ commodè fieri
 possunt, vt est promissio parendi mandatis Ec-
 clesiæ, & satisfaciendi, si satisfaciendum sit. *Se-
 cundum*, quando absoluedi facultas concedi-
 tur alicui sub limitatione satisfacta parte, si is,
 qui absoluedus est, potest satisfacere, debet præ-
 mitri satisfactio; si verò non potest, sufficit cau-
 tio præstita, & propositum satisfaciendi: quod si
 Sacerdos absoluat ante satisfactionem, cum pos-
 sit pœnitens eam facere, absolutio erit irrita.
 Quando denique excommunicatio nullam sa-
 tisfactionem partis læsæ requirat, potest tolli abs-
 que vlla satisfactione. *Tertium*, peccata quæ ha-
 bent adnexam reservationem absque censura,
 nulla sunt iure communi. Episcopi solent non-
 nulla reseruare, vt blasphemiam publicam, in-
 uocationem dæmonis, abortum, homicidium,
 incestum, sodomiam, bestialitatem, & similia,
 quæ cognoscenda erunt in singulis diœcesibus,
 in quibus contingeret Confessarios morari: ab ijs
 enim neque nostri Ordinis Sacerdotes possunt
 hoc tempore absoluere sine facultate Episcopi
 in Italia extra urbem. In Religionibus etiam
 multi solent esse casus superioribus reseruati
 absq; censura, quos cognoscere oportebit eum,
 qui ad confessiones eorum Religiosorum ex-
 cipiendas deputatus erit. *Quartum*, pecca-
 ta quæ habent adnexam reservationem cum
 cen-

censura, sunt omnia illa quæ Papæ referuantur, siue in bulla, siue extra bullam Cœna: sunt etiam alia nemini referuata. Religiosi igitur priuilegiari Romæ degentes exceptis casibus contentis in bulla Cœnæ, à cæteris omnibus possent absoluerè. Extra urbem in Italia sunt etiam quinque casus ex declaratione decreti Clementis VIII. *Primus*, percussio Clerici in calu, quo est Papæ referuata. *Secundò*, duellum in terminis Gregorij XIII. *Tertiò*, violatio immunitatis Ecclesiæ iuxta Bullam Gregor. XIV. *Quartò*, ingressus in monasterium ob malum finem. *Quintò*, Simonia realis completa, vel confidentialis. His addendi casus referuati ab Episcopis, à quibus sine ipsorum licentia non possunt absoluerè. Denique etiam seruandum vltimum Decretum S. D. N. Pauli Papæ V. circa casus referuatos.

Quarto, scienda sunt aliqua circa excommunicationes in particulari. Nam Confessarius debet saltem confusè scire excommunicationes à quibus potest absoluerè, & inde habere intentionem generalem absoluendi ab omnibus à quibus potest. Eas autem, à quibus non potest absoluerè, debet scire distinctiùs. Omnes autem excommunicationes reuocantur ad tres classes. *Prima* comprehendit eas quæ nemini sunt referuata. *Secunda* eas, quæ Papæ referuantur extra Cœnæ Bullam, siue in corpore iuris, siue in Bullis Pontificum. *Tertia* eas, quæ referuantur in Bulla Cœnæ. Et quidem eas quæ nemini sunt referuata, sunt omnes numero ad 72. præcipuæ autè, & quæ vsui veniunt, ferè 14.

Prima, contra occupantes bona, &c. Eccle-
siarum vacantium. *c. generali de Elect. in 6.*

Secunda, compellentes personas Ecclesiasti-
cas, vt submittant bona Ecclesiarum Laicis. *c. 2. de rebus Eccles. non alien. in 6.*

Tertia, sepelientes hæreticos, excommuni-
catos, interdictos in loco sacro. *c. 2. de hæret. in 6. & Clem. de sepult.*

Quarta, contrahentes in gradibus prohibitis,
vel cum monialibus, vel personæ sacræ, aut reli-
giosæ. *Clem. 1. de consang.*

Quinta, impediētes visitatores Monialium,
si admoniti non desistant. *Clem. attendentes de
stat. Mon.*

Sexta, imprimētes, mandantes imprimi,
vendentes libros sine approbatione Superio-
rum. *Leo X. Bulla. 10.*

Septima, raptōres mulierum, & præbentes il-
lis auxilium. *Trident. sess. 2. c. 9. de reform. ma-
trim.*

Octava, cogentes ingredi mulieres in Mona-
stera; vel impediētes earum ingressum, vel ne
liberè contrahant matrim. *Trid. sess. 24. cap. 9.
de reform. matr. & 25. cap. 18. de regul.*

Nona, procurantes abortum fœtus animati.
*Sixti V. in bulla. Effrenatum cum moderatione
Gregor. XIV. Sedes Apostolica.*

Decima, pro Ecclesiasticis. Alienantes bona
Ecclesiastica, vel ultra triennium hypothecan-
tes. *Extravag. ambitiosa de reb. Eccles. non alien.*

Undecima, pro iisdem. Audientes medicinam;
aut leges, si sint Sacerdotes, vel habentes perso-
natum, &c. *cap. super specula, Ne Cler. vel Mon.*

Duodecima, pro personis publicis. Facientes statuta contra libertatem Ecclesiasticam. *c. no-uerit. de sent. excom.*

Decimatertia, pro iisdem. Non adiuuantes Episcopos in clausura Monialium. *Trid. sess. 25. c. 25. de regul.*

Decimaquarta, pro iisdem Doctores, & Professores cuiusque facultatis non facientes professionem fidei in manibus Ordinarij. Pius IV. *Bulla 112.*

Quæ verò sunt reseruatæ Papæ extra Bullam Cœnæ, sunt ferè 62. Præcipuæ sunt ferè septem.

Prima, Percussores Clericorum, Mandantes, &c. *cap. si quis suadente. 17. quest. 4.*

Secunda, Violantes interdictum Sedis Apostolicæ. *Extrau. etsi Dominici. de pœn. & remiss.*

Tertia, Simoniaci in Ordine, vel beneficio, Item Simoniaci confidentiales. *Extrau. cum detestabile de sim. Pius V. Intolerabilis 87.*

Quarta, Committentes duellum, consulentes, fautores, &c. diffidentes, &c. Pius IV. *nu. 25.* Gregor. XIII. & Clemens VIII.

Quinta, Dantes vel accipientes pro gratia, vel iustitia apud sedem Apostolicam. Gregor. XIII. *num. 28.*

Sexta, Mulieres ingredientes monasteria Monialium, vel Monachorum. Greg. XIII. *n. 75.*

Septima, Extrahentes victualia, vt frumentum, bladium, legumina, & oleum. Paulus V. *Inter grauiissimas.*

Denique reseruatæ Papæ in Bulla Cœnæ omnes sunt *nu. 20.* quæ memoriæ causa reduci possunt ad capita quinque.

Pri-

Primo, ad fidem. Vnde excommunicantur omnes hæretici, schismatici, legentes, &c. vt in prima excommunicatione.

Secundo, ad caput Ecclesiæ, qui est summus Pontifex, quatenus potest offendi dupliciter. *Primo*, vt Princeps supremus in spiritualibus, & sic excommunicantur appellantes ab eo ad Concilium in secunda. *Secundo*, vt Princeps in temporalibus certæ partis Orbis, & sic excommunicantur vsurpantes bona, & iurisdictionem ad ipsum pertinentem, vt in vigesima.

Tertio, ad Ecclesiam Christianam, quæ potest offendi, tum in suis personis & membris, vel per latrocinium maritimum, vt in tertia; vel per raptum bonorum naufragantium, vt in quarta; vel per impositionem onerum contra iustitiam, vt in quinta; vel per offensionem Romipetarum, vt in decima: tum in suo principatu, quomodo excommunicantur deferentes arma, &c. ad inimicos Christiani nominis, vt in septima.

Quarto, ad Sedem Apostolicam, quæ offendi potest *Primo*, quoad personas, quæ sunt sub eius protectione, quales sunt deferentes victualia ad Curiam Papæ, vt in octaua; venientes ad eam pro negotijs, morantes & recedentes, vt in nona; & recurrentes ad illam, vt in duodecima. *Secundo*, quoad suam auctoritatem vel per falsificationem literarum Apostolicarum, vt in sexta: vt per appellationem à grauamine ad Laicam potestatem, vt in decimatertia, vel per vsurpationem bonorum Ecclesiasticorum, vt in decima septima.

Quinto, ad Ecclesiasticam Hierarchiam, quæ

potest offendi; *Primò*, ratione principallium eius membrorum, quales sunt Cardinales, Nuncios, Episcopi, alij Prælati, vt in vndecima. *Secundò*, derogando eius auctoritati, vel per cognitionem causarum spiritualium à Laicis, vt in decimaquarta; vel per immunitatem fori, vt in decimaquinta; vel per tecursum à iurisdictione Ecclesiastica ad Laicam, vt in decimasexta.

Tertio, derogando eius libertati, vel per impositionem onerum personis, & bonis Ecclesiasticis, vt in decimaoctaua; vel per cognitionem causarum criminalium pertinentium ad Clericos, vt in decimanona. Atque hæc satis circa censuras, & circa scientiam necessariam Sacerdoti tanquam iudici.

§. 2. De Scientia, quatenus est Medicus.

Secundò, principaliter tanquam Medicus duo præcipuè scire debet. *Primum*, regulas communes, quibus excusari potest quis in præcepto, & à peccato mortali, vt est ignorantia probabilis, inaduertentia, impotentia, leuitas materie, metus etiam grauis, vt infamiae vel mortis excusat in quibusdam præceptis, præsertim, de iure positivo humano. *Secundum*, quæ remedia cuique peccato adhibenda sint, quæ cognosci possunt tum ex Polanco in *Direct.* tum ex Costero l. 2. *suarum Christianarum institutionum.* Omnia porro remedia eò tendere debent, vt peccatum præteritum curetur, & vt futurum caueatur.

§. 3. De scientia, quatenus Confessarius est Doctor.

Tertio, tanquam Doctor quinque præcipuè scire debet.

Præ-

Primò, de Sacramentis quid sint, quæ materia, quæ forma, minister, & effectus? *Secundo*, de particulari de pœnitentia & eius partibus, vt contritione, confessione, satisfactione, & absolutione multò plura, quàm de reliquis. *Tertiò*, de matrimonio impedimenta tum dirimentia, tum non dirimentia. *Quarto*, vsuram, & nonnullos contractus, vt emptionem, & venditionem, censum, cambium, societatem. *Quinto*, simoniam propter Ecclesiasticos. Hæc satis de secunda conditione.

C A P V T III.

De prudentia necessaria ad Confessiones.

QUOAD tertiam conditionem quæ est prudentia. Hæc posita est, tum erga pœnitentem, tum erga seipsum. Erga pœnitentem debet esse prudens, præcipuè in sex

Primò, in examine faciendo, vt scilicet roget verisimilia secundum cuiusque statum, ne doceat simpliciores ignota peccata, ne si ex habitu & professione statum agnoscit, roget de circumstantijs, vt si sit Virgo, vel Monialis, ne pudeat, & fortè mentiatur.

Secundò, in monendo incauto pœnitente, si prævideat eum declaraturum complicem sine necessitate.

Tertiò, in relinquendo illum in sua bona fide, quando ex manifestatione putat nihil se profuturum, vt in impedimento matrimonij.

Quartò, in confirmando se opinioni probabiliori in praxi ipsius pœnitentis, absoluendo illum, si iuxta eiusmodi opinionem absolui potest;